NATURÆ ET ARTIS CERTAMEN IN EXORNANDA DIUI GEORGII MAIORIS INSULA...

Giovanni Benedetto Rocca

Suo Præsuli meritissimo, Domino que Reverendissimo

D. PETRO SAGREDO

Diui Georgij Maioris Abbati

IOANNES BENEDICTVS ROCCA

Humillimus Seruus, ac Cliens

Gloriam, & Faustitatem.

HIVius Poematis, quod Tibi nuncupo, Pater Reverendissime, sic posita conditio est, vt nulla ipsum comitari deberet Epistola, quà viâ mihi aperire videret ad Carminis argumentum Lectoribus explanandum; totum quantum, quantum est, Te sonat, & laudes tuas, licèt primâ fronte aliud prae se ferat, & sanè consultò; tua enim modestia mihi non permisisset in tui Generis encomia, doteſq; animi singulares apertè descendere; quapropter debuit Calamus per cuniculos peruentre quò sexcentis incitabatur nominibus. Pulcherrimam Diui Georgij Insulam, cui Tu praesides meritissimè, mihi proposui describendam, tuas scilicet delicias, Amoresque, in quibus exornandis cum totus semper fueris, quidquid de ipsis canimus ad Te vnice pertinere quis est, qui non videat? Tibi enim vni, vel

certè potissimùm, debet amenissima Sedes Miracula illa, quæ fidem non inuenirent, si oculus posset vnquam negare, quod videt. paucorum mensium curriculo tuus ille Genius ad maxima natus ea surgere fecit Ædificia, vt ipsis insudasse vnum, & alterum Sæculum gloriari vix possent sine mendacij suspicione, apertàque iactantiâ; atque hinc fuit, quòd soluta oratione noluimus tot, ac tanta complecti; non eos habebat colores Historia, quibus posset pro dignitate Portenta depingere; Poeticę facultatis erat opus aggredi difficillimum; atque euentu fortasse non satis prospero; ipsam enim sua somnia (quis hoc facile crederet?) destituere. nullus erit, qui eius ociationem non accuset, atque vecordiam, ac si stylo satis demisso, timidoque plus nimio tua magna Facinora depressisset. Tu vnus illi fortasse parces, quippe optime nosces factum esse ruâ culpa, vt nullus iam sit, neque esse possit, qui sibi audeat fingere, quod Tu facilem reducis ad praxin; etenim inde tua exorditis Opera, quò cæteri vltimò peruenire, neque per somnium sperauere. Viue diù Præsul Amplissime; meaque Musas; quæ tuo Nomini anhelantur ex animo, ab omni aduersantis fortunæ ictu subducas; quod facile assequeris, quoties illas tuis oculis fouere non dedignaberis.

INSVLA FORTVNATA

Ite serenato, procul ite ferocia Cœlo
Flamina, post varios melior Fortuna tumultus
Me Concha vectare suâ quâ Marcia fusis
Vrbs natat alta vadis styga per iurauit; eundum
Quo me cumque vagi portent velamina crinis,
Dum nullos videam Reges, nullasque per Aulas
Fessum ferre latus iubeat. Sub testibus ipsis
Dedignor seruire Ioui. dare Thura Tyrannis
Quù patiar? potius Sors me mentita sub alto
Destituat Pelago; Monstrisque in frustra marinis
Discyciat; Scopuloue super pede frangat vtrumque
Tempus; & excussum geminatâ fronte cerebrum
Cæruleas deturpet aquas; tam nimpius Aulâ
Non mortar ridente: meos nec lœta cachinnis
Regia singultus comitabitur. Ite malignâ
Aure procul tacito, suspiria nostra, volatu,
Et pretium mihi semper erit perusse veligne,
Ac mentta Bouis animasse vlulatibus Æra.
Sed quid ego, tonuit quod Iuppiter, omnibus aquam
Inuidiam Superis facio? sunt Numina nulli
Noxia, crudelis queis displicet ira Tonantis.

Flammea. Tu noſtris viſus gemuiſſe querelis,
O Anima, SAGREDE, mea pars maxima; dextram
Tu mihi ferre tuam fœlici prouidus auſu
Non dubitas, quando circum mea tempora multus
Sibilat ignis adhuc, afflataque membra vaporant;
Extremaſque Noto debent dilapſa faoullas.
At non immemorem, ſi quæ mihi Buxus & Aurum
Eſt Epica vocale Tuba, me nigra profundo
Demerget Libitina Chao. nouus Orpheus vni
Plectra Tibi, poſitis Lethes ad fumina turis,
Elyſias inter, Vates licèt vltimus, Vmbras
Arte moueho nouâ; donec Te fata piorum
Cœtibus adſcribant, nemoris quos vſque quieto.
Nox tenet alba loca; miſſi forte beatior, aucto
Indigetum numero, meritâ donaberis Ætrâ;
Nominaque ingenti ſignata videbimus Aſtro,
Quo VENETOS ſpectare tuos, quo Regnaque poſſis
CRETICA; Neſtoreos poſtquam Cholus aurea Soles
Neuarit, inuito rumpat quos Gloria morſu
Interea quando (nam tanta modeſtia) laudes
Nõ pateris proprias, vultu breue Carmen amico
Accipe, quo ſacram Tibi quæ facit otia Sedem.
Nuper adoraua, cum me Fortuna citatò
Tranſueheret curru; genio fortaſſe maligno,
Viuere ne tecum poſtquam donaſſet, Aſylo
Altior abs tuto, quidquid tentaret, amaro
Deſpicerem riſu; nec nubibus atra Sabeis
Ipſi Templa timor faceret, quo pallidus olim;

Viſus

Visus Ego illusis toties marcescere votis.
Salue igitur, Veneti Regnatrix INSVLA Ponti,
Cui speculum subiecta maris facit vnda; pedesq;
Lambere semotis non indignatur arenis.
Te mea Calliope non rustica concinet hospes,
Seu virides formosa comas tibi fingere: saxo
Siue superba graui gaudes calcare procellas:
Siue sacras aperire fores, & pandere Diuùm
Atria; quos inter maiore GEORGIVS Arà
Surgit Eques, Colubrumque premit peltatus, & hastam
Terque, quaterque nigris adaperta per ora medullis
Figit agens timidæ Custos, Vindexque Puellæ.
Quæ quibus anteferat Tuba nescit. in omnia cantu
Ire simul toto latus impar, & aura sub ipso
Exortu moritura negat; seruire nec vni
Portento mea Musa potest, distracta nouarum
Semper imaginibus rerum, quas prodigus offert
Naturæ Luxus, doctæ Certamen & Artis,
Quæ crepat vsque suam tam deuictisse Magistram
Te tamen, ô Diuum Genetrix, atque hospita Sedes,
Ordiar. inceptis Pietas fauet ipsa superbis.
Gloria primaloci, nostrique superbia sæcli
Visitur innumeris Moles operosa columnis
Surgere. vix oculis conceditur ire, superbus
Quo se tollit apex: fugiunt fastigia fessos
Luminis obtutus: paribus mens ipsaque nescit
Gressibus errantes per nubila prendere Rupes.
Stant multis quoque signa Thalis, quæ Gloria docto

Effinxit celo; gemmâ voluitque capaci
Appoſuiſſe notas, totum quas Fama per Orbem
Concineret maiore Tuba, nec feſſa doceret
Aurora Populos, & ſolis Regna ſepulti,
Qua Venetum Pietas, & qua ſint Nomina Patrum.
Hæc facies Templi, nondum digeſtaque prima
Tentamenta manus. ſacros qua Lingua receſſus,
Qua poterit retuliſſe Chelys? ni pulcrius illis
Grandi loqua pinxiſtis adhuc mendacia Fama,
Applauſit cui nulla fides. vel Iuppiter Aſtris
Paupertor medys habitat: Contermina Cælo
Culmina ni facerent faciles vtrinque meatus,
Huc ſemel & Diuos, Aquilamque, & Fulmen, & Aulã
Tranſucheret totam; ſortis Fratremque ſecunda
(Ni quoqua Plutonem) vacuo donaret Olympo.
Ille tamen, Fortuna dedit cui prodiga ſacras
Tangere poſſe fores, & pro ſtatione propinquis
Ad vigilare Tholis, nollet ſua ſtagna vel ipſo
Commutare Polo. Fratrem vox nulla Tyrannum
Exprobrat, his poſtquam Fluctu regnare ſuperbo
Fata dedere locis; & ſacro ſternere Campo
Membra, per Adriacas ſi quando equitauerit vndas,
Et lateri ſit danda quies, captandaque ſomni
Otia, quaſtrepitu rumpat pia Turba frequenti.
Sed quid Ego Pelagi formâ detentus anhelas
Præforibus ſiſto Muſas? Latiamque profanat
Fabula Græca Lyram? procul hinc, procul ite Poeſis
Somnia mendacis, totoque abſcedite Templo.

Non

Non eget Inuentis ſedes ſanctiſsima; verum
Numen ibi paruo Cereris ſe condit in Orbe.
Sic voluit (nec vana fides) Amor ille, trabalis
Cui placuit poſt fata necis detrudere in antrum
Numinis Exuuias; gelida Cunabula Bethles
Vt taceam, tenerumque cauo ſub pſittice Diuum.
Se minor Ipſe tamen nunquam vileſcit, & alto
Aſsidet in Solio, ſecti quod fragmina Cœli
Compoſuere. breuem Pietas hunc fecit Olympum;
Solque oculos dedit ipſe ſuos, qui luce liquatâ
Implerent Operis rimas, auroque linirent
Omnia; contractum nam quæ tegit vſque Tonantem
Pyxis, erat ſydus Naturæ ſunditus olim
Fronte ſuper fixum; poſtquam perfecerat ipſam,
Preſſaque formoſis infigeret oſcula malis,
Fluxit ab Ore Dei; ſeſe poſuitque ſuperbum
Inter deciduos, diſcrimen nobile, crines.
Hæc Tibi materies Dolor eſt, hæc viſa Trophæis
Apta tuis; tecum iunctis ſudoribus omnes
Sculpſit Amor ſcænas, quas dira Tragœdia magno
Expoſuit quondam, Solymâ plaudente, Theatro.
Singula quis referet Mortis monumenta, minutis
Expreſsit quæ Dextra notis? percurere geſtus
Muſa oculo propiore feros non audet; & ipſam
Mentem arcet clauſi veneranda ſuperbia Diui.
Ite meæ quâ Templa patent, mecum ite Camœnæ;
Nil prohibet; ni forte Solum, quod flamma figurat

Geam-

Gemmea, pes horret cœnoſo tangere greſſu;
Eſſet opus pennis, pulcros pretioſa timores
Fulmina ſi faciunt; craſſis nitet ipſa ſmaragdis
Area, quà Plebes gaudet vel ſordida turpes
Ferre gradus. quocumque Stupor, quocumque Voluptas
Vos vocat, eundum; maculas vel lamberet ore,
Tergeret aut paſſo Charis officioſa capillo:
Siue coloratas humeri ſibi velleret Vmbras
Tempus, vt infecto lucem ter preſſa nouaret
Penna Pauimento. ſudarent Secula, canas
Vt ſibi quodque comas collecto pulueris auro
Tingeret; Aſtrorum vellent aſpergine crines
Hac quoque fucari; nec Luna incederet vnquam
Fratre minor, Fortuna daret ſi pingere nigrum
Hac ſemel arte caput. ſed qua Veſania mentum
Incidit in noſtram ſtimulis vrgere Serores
Plus nimio audaces? viden vt noua Turba beatum
Occupat Odæum? viden vt pede conterit alto
Sydera Gemmarum, pulcro quæ prodiga luxu
Se præbent calcanda? vagas Altaria circum
Implicat vt Choreas? Ieſſas vt Carmina Vates,
Vtque ſtudet certos ſacrorum addiſcere Ritus,
Quos pia Roma docet? Sancti prob magna CASINI
Gloria! cui licitum radiores inter Ephœbos
Ad numerare Deas; atque ò fortuna SAGREDI,
Demiſſo de more volunt quem Numina vultu.
Nil Olli, nil reſtat adhuc, quam cogere Diuas
Ad noua Tyronum Penetralia. Pande beatas,

Pan-

Pande, GERARDE, fores; venit ecce Sororibus auctū
Agmen, inexpertas Sacris tua cura Puellas
Exercere nouis, quando Tibi credere sōli
Crescentes voluit PRÆSVL cognatus Amores.
Dictis parce meis; debes hæc munia PETRO
Irrequieto tuo. quis Te, quis paueris olim,
Obscurique Laris custodem diuite cultu
Donauit? super alta Domus vexitque superba?
Vnde recens hæc Aula tibi? splendorque ter ampli
Formicis. Ille fuit magno non impius ausu
Ad Iouis horrorem Scopulos qui miscuit Astris.
Vix oculis præstanda fides. properata labores
Ars stupet ipsa suos; nondum sibi credit & Annus
Longa Operi secum quòd non sudauerit Ætas.
Vos quoque bissenis Tuba concinet impigra Mensis,
Formosam data cura quibus componere Sedem,
Quam sibi seposuit bene prouidus, otia quando
Concedenda sua, nondum quæcognita, Menti.
Vos Ego vicini breui ora Suburbia Cœli,
Vos Ego corde fero. rerum me tangit imago
Nulla magis. Venerem si fingeret vlla pudicam
Fabula, corrāsos Cypria de sede Lepores
Hic plena sparsisse manu suaderet amem
Ingenium fatale loci, Laris atque beati
Forma decens; rerer Naturam & cuique Dietam
Concessisse suam, pictis quam verreret Alis;
In cæros Hebe nec non adscita labores
Atria per, medias modo per discurreret Aulas.

Nec

Nectareos ruptura scyphos, quò lubrica succos
Gemma bibens roscos Venetis daret optima Ventis
Oscula, quæ Zephyris nesciret Flora Sabæis
Reddere odorato, quamuis lasciua, labello.
O Ego quæ possem tenero mihi fingere Plectro
Gaudia! Naturæ studium seu dicere: puleros
Siue laborantis sudores Artis in vnum
Cogere per varios vellet mens acta furores.
Sed me plura vocant, nullum queis sufficit Æuum:
Doctaque formosi sibi vindicat vmbra Lycæi.
Nil isti commune loco: nil Fata dederunt.
Excipias Naturæ Solum, Tibi maxima debet
Aula nihil; Pinde labor est, & longa Sororum
Cura dedit vigilis quidquid Lucerna Cleantis
Hoc Pallas congessit amans, nec Cynthius vllum
Dedignatus opus docto sibi puluere flauos
Infecit crines, annosa Volumina quando
In Classes digesta nouas hinc transtulit illuc,
Oblitusque fui sæculis Pythone cruentis
Sanit in imbellem nunquam defessus Arachnem.
Si quæ super pictis telas intexere tignis
Audet, & intortis distendere viscera filis
Nigra quibus veniant aurato nubila Cœlo.
Hæc tibi cura leuis, sudorque inglorius olim
Phœbe; labor at à cum nondum Pegmata Cedro
Surgebant; ardere rudem nec fecerat Aulam
Sanguine Concha suo; iunctos nec Iaspides auro
Planta terebat adhuc, mixtumque Adamanta Pyropis.

Nunc

Nunc labor est Genios, pariunt quos sæcula, doctos,
Morsque cruentata detruncat falce labores
Inter inexpletos, æternis ludere Gemmis,
Et vitam reparare breuem. Stupuere Sorores
Reddita fila Cholo; damnant & Forfices vsum,
Si qua manus licuit celeri properata rotatu
Stamina, Musarum Dominus quod nolit Apollo,
Arbitrio secusse suo. nec Portitor Vmbras
Admittit, meritos Laurus quibus vlla capillos
Implicat. Ille redux vacuis se sternere transtris
Posse cupit; quassamque nouo sub pondere Cymbam
Nollet; in vlterius vtles impellere littus
Nunquam Animas timuit, simul vt signauit arenas
Planta recens, flauis longum sonat aspera ferro;
Et negat ad superas concedere Cerberus auras.
Heu moriar quoque totus Ego, si Fata Camanas
Expellent hac Sede meas. hac INSVLA Pindus,
Hæc mihi Parnassus. concedite, sydera, pacem
Hanc animo tantùm; primis nec turgida Lauris
Mantua Parthenopi faciet conuicia nostra;
Virgilium dabit ipsa suum, qui plenius olim
Arma, Virosque canat, Scythicos quos misit in Hostes
Adriaci REGINA Sali; post Fataque nostros.
Ad minimum Cineres grandi suspendet in Auro
NOBILITAS qua parte Nemus spectabile Lintris
Surgit. inexperto monstrabit Nauita Vulgo
Exuuias, addetque mea mendacia Fama.
Non Ego tunc, iactat diues quod Caria, Bustum

In-

Inuidus aſpiciam. iam nunc rapuiſtis amantem
Hanc Animam, culta Tempe pulcherrima Ripa.
O Ego quæ vidi! taceat Viridaria Peſti
Fama loquax. illic miracula nulla; nec Artis
Impulit ingenium glebas vel ſponte feraces.
Quidquid habent, Natura dedit. labor improbus iſtis
Excolit Arua locis. poſcit Neptunus arenas
Vſque ſuas: Pomona negat, Bacchuſque, nec vndam
Expauet; audaces adproximat ſtagna racemos
Porrigit. Autumnos quis non rideret Amantes
Poſcere Cæruleis non oſcula frigida Nymphis?
Et ſibi difficiles Pomis lenonibus vdas
Conciliare Deas? tacitus Connubia Faunus
Dum ſpectat; totoque ſalax dum corpore pendet,
Decidit. errantes fugiunt per Cærula Diuæ;
Delphynoque ſuper pauidus natat ille; procaces
Irrident Satyri Caſum, Te donec, Arion
Ruſtice, ſuſtollant humeris Tritones; in altos
Vnguibus vnde queas reptando euadere muros.
Heu labor, heu quantus ſudor tibi reſtat, & Illis
Forte dolor; teneras nam quæ terit vngula ſquamas
Aſpera diſciſſo ſignat veſtigia tergo.
Non tamen iſta meam rapiunt ſpectacula mentem,
Pulcra licèt. centum video diſcurrere REGES;
Quodque magis miror, nullo Pomaria faſtu
Infamant. primi tandem redière metalli
Secula, formoſo, nulla eſt cuſtodia Luco;
Omnia tuta patent; & maieſtate ſileſcunt

Om-

Omnia. quis credet? tumida crudelia Vultu
Æ DOMINIS mites didicerunt Æquora mores.
Non ne vides Pelago quæ pulcra modestia toto
Lucet? inoffensos vt fluctibus INSVLA somnos
Muta trahit? fessique cubant per litora Venti?
Tu quoque Musa, tace; rauco sat garrula cantu
Plectra serenati rupere silentia Cœli.

99 937705